

2.K. 365, 11.

HYPOTYPOSIS
GEOGRAPHIÆ,

NATURAM

illius Definitione ac Divisione exhibens,

*Jussu & indultu
Inclytæ Facultatis Philosophicæ in
Academiâ Lipsicâ*

Conscripta & publicæ
Disputationis Loco
proposita


M. HIERONYMO AVIANO
Al. Elect.

Respondente
POLYCARPO WIRTH Lipsensi,
Philosoph. Baccalaur.

Ad d. 4. Idus Decembr. Anno 1625.



LIPSIÆ
Excudebat GREGORIUS Risſsch/ Anno 1625.



X 1504030



120



HYPOTYPOTIS
GEOGRAPHIA

NATURALIA

Illius Definitione ac Divis
honestissime

Joannes G. ind. in
Ingen. Facultatis Philosophicae in
Academia Lipsica

Conscripta & publica

Dissertatione

BIBLIOTHECA
ANAVIANICA



M. HIERONIMUS
AD. HIEG.

Respondente

POLYCARPO WIRTH
Philosoph. Doctor

Ad d. 4. Idus Decembris. Anno 1627.



LIPSIÆ

Excudebat Georgius Meißner Anno 1627.



Psal. 121. v. 2.

בְּעֵרַר
שָׁמַיִם
וְאֶרֶץ:

Περιοίμενον.



*Q*uanto Nobilius est uniuersum ac
splendidissimū Mundi Theatrum,
quippe summam Ter Opt. Max.
omnipotentiam, sapientiam, boni-
tatem, aliāq; innumera attributa in nitidissimo
veluti speculo demonstrans. tanto dignior eva-
dit ista nobilissima Scientia, qua circa alterum
Mundani systematis precipuum corpus expli-
candum, describendumve, versatur: GEO-
GRAPHIAM puto, ad cuius commendatio-
nem, qua faciunt, longè plura sunt, quam qua
ambitioso verborum circuitu commemorari,
atq; extolli possint. Etenim Telluris globus
etsi, ad extremum caelum collatus, vix puncti sit
instar: tamen in se spectatus, & ad oculos no-
stros relatus, insignem habet magnitudinem,

A 2

cum



Pfal. 119.
v. 16.

cum maxima prestantia conjunctam, adeo ut non immerito in quibusdam paria facere cum ipso caelo, in quibusdam etiam palmam praeferre statuatur. Terra siquidem non caeli, sed caelum ipsius gratia est conditum, cum illa proximum & immediatum habitaculum futura esset Creaturae rationalis, attestante hoc ipsa S. Scriptura. Hinc quantum quoque dignitatis ac utilitatis encomiis Terram, communem omnium animantium matrem, ideoque etiam maternam veneratione dignam, ornarit Plinius lib. 2. Nat. hist. vix dici potest.

Quamobrem sicuti Terra dignitate proxima est caelo: ita post Astronomiam, quae primam Cosmographiae partem continet, nulla nec ad dignitatem gravior, nec ad delectationem melior, nec ad agnitionem pulchrior dicitur Disciplina, quam Geographia. Hujus siue necessitas siue usus tam multiplex est, ut verè Monoculo similis habeatur in Historiis, in Philosophia, in tota humana Vita, qui Geographia lumine careat. Quemadmodum enim Historia est oculus prudentiae Politicae, sic Geographia est oculus & lumen Historiae, ut praclare scribit

bit Joh. Bodinus in Meth. Histor. Taceo sincerissimam ac honestissimam voluptatem & jucunditatem, qua mens nostra suavissimâ istâ cognitione Geographicâ ubertim perfunditur.

His & aliis causis, in primis quoq; gravissimo Plinii Epiphonemate, quo predictum locum concludit, & in quo reprehendit ignominiam ac ingratitude nostram erga tam benignam matrem, quod ab ipsa invitati, & tot commodis tantisq; discendi occasionibus allecti, tamen ejus naturam ignoremus; adducti, operæ precium duximus GEOGRAPHIÆ Naturam, paucis thesibus inclusam, ad publicum Examen proponere. Quod ut prosperè succedat, ô Deus alme, Creator Cœli & Terræ, largire sapientiam & eloquentiam.

THESIS I.

Elegans sanè ac perutile Platonis est præceptum in Phœdro, quod ex illo usurpat Cicero lib. de Officiis & alibi: Omnis quæ cum ratione suscipitur de re aliqua institutio, debet à definitione proficisci. Quod cum inter alia primùm quidem in disputationibus generatim de definitionibus Nominis intelligendum sit: igitur & nos aliter facere non potuimus, quin ante omnia præmitteremus definitionem *ὀνομαστικῆς*, cum præsertim etiam Aristoteles lib. 1. post. 1. inter mo-

dos γεωγνώσεως primo loco ante omnem questionem, etiam maximè simplicem, an sit, constituat τὸ τὶ λεγόμενον ἐστίν.

II.

Debet igitur Geographia originem suam Græciæ, à nomine Γαῖα (ἢ γαῖη, id est, terra (pro quo in compositione inusitatum γέα, usurpatur) ἔ γράφω, id est, scribo; quippe nihil aliud est, quam Δεσφῆ τὴ γαίας, id est, descriptio Terra: Quæ à Cosmographia differt, ut pars à Toto; à Chorographia, ut totum à parte, cuius Chorographia pars iterum est Topographia.

III.

Terræ autem nomine hic non separatim quartum Elementum, ut Physici, accipimus, sed complexim totum corpus, ex mutuo, aptissimisq; vicibus variato, ἔ distincto Maris ac Aridæ complexu, intelligimus, quod à figura Orbis seu Globus terra vocatur. Hebr. ארץ, differens ut plurimum à תבל, sicut totum à parte. Siquidem hoc vocabulum propriè eam partem significat, quæ ab hominibus habitatur, quamq; Græci οἰκόμενον appellant, inter alios hæc annotantibus CL. Drusio in quest. suis Hebr. Forstero, ἔ Zanchio l. 1. de Operibus Creat. cap. 2.

Psal. 24.
& 89.

IV.

Etsi igitur Terræ Globus pluribus modis in considerationem venire potest; nostro tamen instituto maximè conveniens erit hic modus, prout sc. constat superficie sphericâ, habente magnitudinem, ordinem, situm & proportionem partium, cum inter se, tum ratione Cœli.

V.

Atq; hæc est illa ratio formalis, secundum quam Orbis terræ subjicitur tractationi Geographi, adeò ut, quæ nihil huic conferunt, etiam negligi, vel tanquam aliena ἔ extranea ab hac Disciplina ἔ soleant ἔ debeant judicari.

Præ-

VI.

*Præmissis nunc præmittendis, GEOGRAPHIAM defini-
nimus: quod sit Scientia (Mathematica) de magnitudine,
ordine, situ & superficie præcipuarum partium orbis ter-
reni. Vel brevius juxta Keckerm. & Alsted. GEOGRA-
PHIA est scientia de mensura & distinctione Orbis terrarum.*

VII.

*Quod GEOGRAPHIA una sit de Disciplinis Ma-
thematicis haud spernenda species, de eo dubitasse hætenus
puto neminem. Etsi enim facile cuivis concedendum, ad pri-
mum Scientiarum Mathematicarum, idemq; præcipuum &
summum genus, quod Purum & Abstractum vocant, referri
eam non posse: ab altero tamen, quod Concretum seu Mix-
tum & Subalternum dicitur, haudquaquam excludi debet,
siquidem Geographus Quantitatem æquè, ut alia Scientia
Mathematica, non quidem in cælo, ut Astronomus, vel nudè
& in seipsa, ut Geometer, sed ut Corpori seu Globo terreno
immersa est, considerat & expendit.*

VIII.

*Illud ipsum quoq; Definitum revera Scientiam esse, liqui-
dò constat ex illis tribus requisitis & certissimis Scientia Crite-
riis, quibus unaquæq; Scientia opus habet: Subjecto scil.
Affectionibus & Principiis, quæ singula breviter perse-
quemur.*

IX.

*SUBJECTUM seu γῆς ἡσπέρεινον, de quo Af-
fectiones Geographica demonstrantur, est totus Globus ter-
restris, constans ex aqua & terra, apta combinatione inter se
temperatis & compositis, & ratione superficiei convexa in pri-
mis consideratus.*

Cumq;

ARIDE

IX.

Cumq; inter alicuius Scientie Pracognita facile princeps sit, subjecti partes declarare, & pracognoscere; siquidem Affectiones semper demonstrari debent, vel de subjecto genere, vel aliqua Subjecti generis parte, ut docemur in 1. post. Anat. c. 5. igitur & necessario apponenda videntur varia genera partium superficiei Globi terreni.

XI.

Summa itaq; & principalis Divisio Locorum in superficiei Globi terreni sumitur à causa Efficiente, & hoc respectu alia sunt Naturalia, alia Arbitraria.

XII.

Arbitraria loca dicuntur partes Terra, quibus superficiei ejus discreta est, sive rationis, sive manus humanae opera & commercio.

XIII.

Hæc iterum subdividuntur in Universalia seu Communia, & Particularia seu Specialia.

Illorum septem præcipua genera numerantur: Regnum, Regio, Provincia, Territorium, Rus, Prædium sive Fundus, Desertum.

Horum verò sex sunt: Urbs, Oppidum, Vicus, Pagus, Castrum, Domus cum suis speciebus.

XIV.

Naturalia loca dicimus partes superficiei Globi terreni, in quas Natura discrevit illam. Sunt q; vel Ferræ, quæ uno nomine ARIDA dicuntur. Das Trockene / etiam in Sacris, ubi peculiare & proprium nomen habet, sc. מִדְבָּרָה sive מִדְבָּרָה vel Aquæ Hebr. מַיִם pl. à sing. מַי, id est, Mare. Cujus distinctionis causam natura desumpsit à fine, quæ est commoditas & salus animantium.

ARIDÆ

Psal. 95.

v. 5.

Genes. I.

v. 9. & 10.

XV.

ARIDÆ partes sunt vel Principales, vel minus Principales seu secundariæ.

Illarum 4. constituuntur Classes, Insula, Continens, peninsula, & Isthmus:

Harum verò 8. potissimum, Mons, Promontorium, Collis, Vallis, Convallis, Campus (Huc referri possunt Sylvæ, Nemora, Arbusta, pomaria, prata, horti &c.) Littus, Sinus (Quò pertinet Portus, tanquam huius species.)

XVI.

Aqueæ partes etiam sunt vel Principes, vel Secundariæ. Illæ vocantur Oceanus, s. Mare magnum, Mare simpliciter dictum, & Fretum: Hæ verò appellantur Lacus, Stagnum, Palus, Fluvius, Torrens, Ostium, Fons, Puteus. Quibus adduntur à Keckermanno Rivus, Lacuna, Cisterna, Piscina.

XVII.

Hactenus de subjecto; sequuntur AFFECTIONES, quas de hoc suo subjecto Geographia demonstrat, & ex definitione ejus eruere unusquisq; facile potest.

XVIII.

Voce enim Magnitudinis innuitur Dimensio Globi terreni in toto, seu Supputatio Ambitus simplicis & Diametri terrena, item Excelsitatis montium, quorum Quantitas in aliquo genere mensuræ famosæ & artificiosæ beneficio principiorum, deinceps sequentium, eruitur: super quam postea etiam Superficie convexæ, & Corpulentia terrenæ explicatio & mensuratio in consimili mensuræ præteriti generis ratiocinijs Geometricis fundatur. Atq; sic agitur de Quantitate & Superficie terrestri Globi, totaliter considerata.

XIX.

Huic succedunt Accidentia reliqua, quæ consequuntur

B

Quan-

*Quantitatem; Ordo nimirum, ac Situs, & Distantia: Si-
quidem omnia quanta ordinem, h. e. Situm & Distantiam in-
ter se custodiunt.*

XX.

Cum autem utrumq; & Situs & Distantia, vel Simpliciter, vel Comparatè accipiantur; Et verò illo modo unicum duntaxat locum, hoc verò plura in Terra respiciant: Hinc ex Situ simpliciter accepto oritur

- 1. Distinctio Terræ in 5. Zonas (Vnam Torridam, duas Temperatas, & duas Frigidas,) differentes ratione graduum caloris & frigoris, ab obliquitate Zodiaci & Sphæræ situ dependentium.*
- 2. Divisio partium Terræ, illiusq; habitatorum penes differentias umbrarum, quas Sol diversimodè in diversis Terræ partibus spargit. Hinc enim incolarum: alij Ascij (i. e. nullam umbram habentes, id quod bis in anno Zonam Torridam habitantibus contingit, Sole per verticem ipsorum transeunte;) alij Amphiscij (i. e. Ultraquumbres, quibus in Zonâ Torridâ umbra Meridianæ in utraq; partem, Merid. & Septentr. sparguntur;) alij Heteroscij (i. e. alterumbres, quibus in Zonis Temperatis umbra in unam solummodò Mundi partem flectuntur, eam nim. in quam declinat Zona;) alij Periscij (i. e. circumbres, quibus in Zonis Frigidis umbra circulariter circa corpora circumeunt.) constitui & nuncupari solent.*

XXI.

3. Distributio Terræ in climata ratione maximi diei Solstitialis; Pro hujus enim diversitate constituuntur diversa climata.

4. Situs locorum absolutè consideratus, quo absq; respectu alterius unusquisq; locus seorsim in certo aliquo terræ puncto situs est; qui ex illius data Longitudine & Latitudine innotescit.

XXII.

At ex Situ comparatè sumto, quia ibidem duo loca ex eodem aut diverso climate vel Zona inter se conferuntur, & quomodo illorum incolæ erga se affecti sint invicem in ratione
Status

*Status aut incessus corporum suorum, inquiritur, exurgit a-
lia Distinctio terrena superficiei, illiusque habitatorum in
Antipodes (in Diametro Mundi sibi invicem oppositos.) Antœcos (sub
diversis parallelis, sed ijs æquidistanter in eadem Meridiani medietate ab Æquatore
versus utrumq. Mundi polum sitis, degentes,) & Periœcos (in eodem paral-
lo loca, diametraliter opposita, inhabitantes.)*

XXIII.

*Huc pertinet Situs, respectivè consideratus, ubi quæri-
tur positus duorum locorum ad se invicem ratione 4. Mundi
plagarum, secundum quas alter altero est Orientalior, Occi-
dentalior, Meridionalior, Septentrionalior, juxta triplicem
differentiam locorum.*

XXIV.

*Porrò quia & Distantiarum simplicium duo genera in-
veniuntur, terminis à quo differentia, oritur inde doctrina de
Longitudine, cujus Terminus à quo est Meridianus Pri-
mus; & Latitudine, cujus terminus à quo est Æquator:
Quarum beneficio cujusq. loci Situs, tam absolutus, quam re-
spectivus, in Globo terreno exactissimè definitur, & cogno-
scitur.*

XXV.

*Distantia verò comparata inter 2. loca versatur, ubi
queritur, quot gradus Circuli Magni aut paralleli, quot Mil-
liaria intersint inter utrumq.*

XXVI.

*Has duas Affectiones Situm & Distantiam, respicit 1.
Doctrina de investigando Situ locorum, respectu Regionum
seu Plagarum Mundi, tam Principalium 4., quam Secunda-
riarum 28. ut à modernis nautis constituuntur.*

*2. Doctrina ventorum, per hanc occasionem attacta, qua-
tenus peculiaris Ventus ex qualibet Mundi plaga seu Cardi-
ne aspirat. Aliàs enim consideratio Ventorum magis Phisici,
quàm Geographi censerit solet.*

3. *Doctrina de Supputandis distantijs & intervallis locorum, Longitudine & Latitudine seorsim & conjunctim differentium, quæ facile princeps & quasi nucleus est omnium accidentium, in quorum explicatione principaliter Geographus versatur, quippe illa præcipuum est fundamentum omnis Geographicæ descriptionis per Tabulas.*

XXVII.

Tandem agmen Affectionum Geographicarum claudit Modus in plano describendi & representandi situs præcipuarum Terræ partium, convenienter & debita symmetriâ servata, quam ad rem certorum circularum & linearum ductus, tanquam principia hujus Disciplinæ & normæ proportionis, adhibentur.

XXVIII.

Hæ Affectiones omnes, hætenus synopticè recensitæ, propter circulos assumptos, de quibus jam jam agendum erit, Terræ Mariq; vel insunt, vel eveniunt.

XXIX.

PRINCIPIIS autem ad explicandas & demonstrandas Affectiones Geographicas de Terra, ejusq; partibus, supra enumeratis, opus habet Geographus triplicibus, quæ ex Physica, Astronomia, & Geometria mutuatur.

XXX.

ILLA sunt certæ hypothèses de Terræ situ, figura, & magnitudine, sic dictæ, quod ejusmodi propositiones non demonstrantur in Geographia, sed partim per se sint notæ, partem jam tum quasi demonstratæ aliunde assumantur, relictis rationibus demonstrationis Physico, ad quem propriè pertinent, declarandis.

XXXI.

ISTA circulos terræ, eorumq; differentias, origines, & proprietates concernunt.

Geo^m

XXXII.

Geographi enim, ad instar agri mensorum, certis atq; definitis lineis, usq; circularibus, in Terra opus habent, quibus omnium regionum, Terra Mariq; dispersarum, fines, situm, locum, magnitudinem &c. accuratè & constanter, veluti alicujus areæ podismum, exprimant.

XXXIII.

Talium Circulorum Terrestrium 3. præcipua Genera habentur: Sub quorum Primo Æquator cum suis Parallelis omnibus, in quibus numeratur Longitudo locorū, continetur. Est autem Longitudo loci arcus Paralleli vel Æquatoris, interceptus inter primum Meridianum & Meridianum loci dati. Vel brevius: Est distantia loci, à primo Meridiano versus ortum numerata.

Secundum genus constituit Horizon, qui Plagas distinguit; & Meridianus, in quo Latitudo Locorum numeratur. Est autem Latitudo loci arcus Meridiani, interceptus inter Æquatorem & parallelum loci dati. Vel: Est distantia loci, ab Æquatore versus polum alterutrum numerata usq; ad Zenith loci dati.

XXXIV.

Ex Tertio sunt Circuli distantiarum, quibus mediantibus emetimur distantias locorum, quæ aut sunt arcus Circuli vel Meridiani, (ut loca Latitudine differentia,) vel Æquatoris, Parallelive extra Æquatorem, (ut quæ longitudine differunt) aut hypotenusæ trianguli rectanguli, (ut, quæ Longitudine & Latitudine simul differunt.)

His omnibus quasi appendices accedunt Ecliptica, & duo Coluri in Globis, arte factis; siquidem horum usus tantus non est, quantus illorum.

XXXV.

Hi autem Circuli terrestres omnes nomen & Originem.

nem ducunt à Cœlestibus, quibus situ & analogia respondent. Siquidem illi Majores comprehenduntur cum his in eodem plano, & ex eodem plani illius centro describuntur, id est, sunt concentrici. Paralleli verò minores etsi cum Cœlestibus non contineantur in eodem circuli plano; jacent tamen in eadem superficie Conica.

XXXVI.

Descriptiones, Proprietates & quorumlibet Circulorum usus quia tam paucis verbis tradi nequeunt, brevitatis ergò Lectorem remitto ad libellos Geograph. , & imprimis ad Lectiones publicas Præcellentissimi Dn. nostri Professoris: Vbi hæc & alia, huc pertinentia, graphice sunt descripta, scientificèq; pertractata.

XXXVII.

HÆC deniq; Mensurarum in Geographiâ genera usitata declarant, & quomodo ad illas Astronomicæ mensuræ, quæ fit per gradus circulorum, graduumve partes, instituenda comparatio, pariter ostenditur. Unni namq; gradui circuli Magni terrestris respondere 15. Milliaria Germ. communia, seu 500. Stadia, autore Ptolomæo, observatio experimentalis testis est.

XXXVIII.

Ubi neminem ignorare arbitror, quàm varia & diversa mensurarum genera dentur, quibus modus cujusq; magnitudinis definiri soleat in communi vita, quas Græci *ἠγῆς*, id est, notorias, Latini famosas inde vocant; quodq; alijs atq; alijs nunc hi, nunc illi populi usi sint: Interim tamen ex omnibus mensuris nullæ olim hodieq; Geographis, sive famosiores, sive vulgatiores, sunt prædictis Milliariibus & Stadijs.

XXXIX

Quorum utraq; iterum suas subdistinctiones admittunt.
Etenim

Etenim Milliare est vel Italicum, vel Gallicum, uno nomine Leuca dictum, vel Germanicum: quod rursum aut commune; aut Magnum seu Grande, seu Helveticum seu Suevicum dicitur. Sed quemadmodum singuli populi singularia penè habent Milliaria, ita hoc loco ea tantum notare volumus, quæ apud nos præcipuè occurrunt.

Stadium autem dividitur in Græcum & Romanum. Etsi enim magnitudine conveniant, differunt tamen pedum numero, siquidem unum idemq; spaciū est, quod græci sexcentis, Romani autem sexcentis viginti quinq; pedibus, metiuntur, & stadium vocant.

XL.

Ex his tribus certissimis notis & requisitis Scientiæ, hucusq; breviter dinumeratis, satis superq; constat, optimo jure Geographiam sibi Scientiæ nomen vendicare.

LXI.

Ex iisdem præsuppositis cuiusvis intelligenti luculenter quoque patescit, uter ordo in Geographia dominetur. Cum enim omnes scientiæ solo Ordine Synthetico disponantur, (ut ἀποδεικτικῶς probatur à CL. Neld. lib. de Ord. Doctr.) quis amplius ambiget, quin & Geographia Synthetico sit tractanda. Unde recte quoq; ad illius ingenium versatur in explicatione (1.) Subjecti, quod est Globus terrestris cum omnibus suis partibus. (2.) Principiorum triplicium; (3.) ab his progrediendo ad Affectiones Terræ; ac deniq; ad singulas Subjecti partes descendendo, easq; in tantum explicando per earum principia & affectiones, quantum cuiusq; partis vel loci dignitas & amplitudo requirit, aut experientia & fama permittit: Siquidem de ignotis nulla dari potest scientia.

Postremò

XLII.

Postremò in definitione Geographiæ & hæc verba adijciuntur: Præcipuarum partium. Quibus non obscure discriminatur Geographia à Chorographia & Topographia: quarum indoles est non, ut Geographiæ, τῶν κατ' ἕκαστον ἐπισημότερα, id est, quovis in genere maximè spectabilia & eminentia, seu (ut verbis definitionis utar) præcipuas partes persequi & enumerare, illasq; varijs modis distinguere, & c. sed potius τὰ μικρομειέστερα, id est, minutiora & ignobiliora singula consèctari & recensere.

XLIII.

Tantum de Definitione: Restat etiam exponenda Divisio, quam diversa consideratio Subjecti parit; qua ratione dispescitur in Generalem & Specialem, ad exemplum, Physicæ.

XLIV.

Quemadmodum enim in Scientia Physica, dum essentia & natura corporis naturalis in genere consideratur, quoad sua principia & affectiones generales, provenit pars Communis s. Generalis & Universalis; Et, dum in eadem Physica ad singulas corporis species descenditur, emergit pars Propria seu Specialis & Particularis: ita & par ratio locum habere potest in Geographia.

XLV.

In Generali namq; parte post sufficientem explicationem Subjecti agitur de Principijs, tam Physicis, quàm Mathematicis, tandemq; ad enarrationem Affectionum seu Accidentium fit accessus. Quibus omnibus Globi terrestris, quoad Geographicum considerandi modum, in genere contemplatio instituitur.

In Spe-

XLVI.

In Speciali autem parte perlustrantur & recitantur pro
cujusq; loci conditione partes terræ, utpotè præcipue regiones,
dominia, insulae, civitates, montes, valles, Maria, sinus, stagna,
flumina, promontoria, portus, valles, & c. per totum terrarum
Orbem quasi disseminata, additis simul eorundem nominibus
novis & antiquis, figurâ, situ, ordine, finibus, connexione, si-
milibusq; accidentibus.

XLVII.

Hæc iterum non incommodè dividi posse videtur in Geo-
graphiam, in specie sic dictam, & Hydrographiam, quarum
illa de partibus terrenis; hæc verò de aqueis præcipit.

XLVIII.


Utriusq; cognitio si ob nihil aliud, certè vel ob solam
Theologiam & S. Scripturam fructuosius perlegendam, soli-
diusq; intelligendam, unicuiq; esset comparanda. Quando
enim S. literæ ex omnibus 4. Mundi partibus majoribus
loca quædam inseruerunt Historiæ Sacræ: Quomodo igitur quis-
piam sine prævio Geographiæ lumine in illa dextrè versari,
progredi, illamq; vel satis assequi, vel memoriâ complecti po-
terit?

XLIX.

Sed manum nunc de Tabula. Quandoquidem nobis
non propositum est diædionem & specialem Geographicam tra-
dere. Sufficiat hoc modo breviter adumbrasse Geo-
graphiæ NATURAM, quæ consistebat partim in Definitio-
ne, partim in Divisione.

Sic tandem bono cum Deo concludimus hanc Geogra-
phicam diatriben, ex angustiissimo amplissimoq; Matheseos
Campo productam, ad cujus studia amanda atq; excolenda
non sine gravitate nos invitat, & hortatur Eruditiss., in Plinium

commentator, *Jacobus Milichius*, cum, inquit, nulla alia re majorem gratitudinem erga Deum exhibere possimus, quàm inspectione, ac cognitione ejus Mirabilium operum, quorum maximam copiam TERRA quoque suppeditat.



CORONIDIS

loco.

2.

An Totus Terrarum orbis sit cognitus? D.

An omnes zonæ habitabiles? A.

An Mathematicæ Demonstrationes sint ἀνεπίστευται
physiologicis? A.

An verum sit, quod dicitur: Aristotelis Philosophia
habet paucas ac propè nullas Demonstrationes? D.

An sternutatio sit motus cerebri, ut vulgò putatur? N.

An in totum damnandum sit Judæorum Talmud? N.

An Scheva in Hebr. Lingua post Vau Schurek ab initio dictionis sit legibile? D.

An in pronomine מִלְּחֵל sit Milhel, an verò Milra? *Affirnaverim prius.*

לְמַרְיָא וְשִׁמְחָה
וְאֶרְעָא וְשִׁמְחָה

Psal. 69. 6. 35.

Epigram.

Epigramma

In honorem

Humanissimi & Doctissimi Dn.
Præsidis.

A rte Mathematicâ totus recluditur Orbis,
Clausâ clauditur hic arte Mathematicâ.
Quid miri ergo, aliquos visa, ut non visa, tacere,
Trajectis Rbeni ceu tacet anser aquis?
Hæreat in simili sed ne pice nostra juventus,
Maturam bis studiis fert AVIANUS opem,
Quando Geographica prodit mysteria mappa
Plurima digna cedri cortice, digna typis.
Quod si opus artificem probat, hoc, AVIANE, progeum
Artis te magnum sat probat artificem.

Φιλίας χάριν F.

M. Godefredus Cundisius:



No 10

5

AK

Epigramma

In honore


Henrici Augusti & Johannis D.

Præsidis

Quod si opus artificum præbet, hoc AVIANE præcipuum
 Plurimum dignæ cœti coram, dignæ opib.
 Quando Geographicæ præbet æstivæ mappæ
 Matrem hinc studii sunt AVIANE operum
 Hæc in summi sed hæc non hæc præcipuum
 Tragicæ Rheni cœtæ hæc præcipuum
 Quid mirari ergo, aliquos hæc, ut non hæc, hæc
 Clavis clavis hæc hæc hæc hæc hæc hæc
 Rex Mathematicæ hæc hæc hæc hæc hæc hæc

Philippus X. F.

M. Godefridus Gundlingus



AK



2.K. 365, 11.

N A

illius

M. HI

POL

Excude



M

Divi

X 1904070

A NO

ensi,

1625.

